

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli  
ad Romános

5, 12-19

**F**ratres:

- <sup>12</sup> Sicut per unum hóminem  
peccátum in hunc mundum intrávit  
et per peccátum mors,  
et ita in omnes hómines mors pertránsiit,  
eo quod omnes peccavérunt.
- <sup>13</sup> Usque ad legem enim peccátum erat in mundo;  
peccátum autem non imputátur, cum lex non est,
- <sup>14</sup> sed regnávit mors ab Adam usque ad Móysen  
étiam in eos, qui non peccavérunt  
in similitúdine prævaricatiónis Adæ,  
qui est figúra futúri.
- <sup>15</sup> Sed non sicut delíctum, ita et donum;  
si enim uníus delícto multi mórtui sunt,  
multo magis grátia Dei et donum  
in grátia uníus hóminis Iesu Christi  
in multos abundávit.
- <sup>16</sup> Et non sicut per unum, qui peccávit, ita et donum;  
nam iudícium ex uno in condemnatiónem,  
grátia autem ex multis delíctis in iustificatiónem.
- <sup>17</sup> Si enim uníus delícto mors regnávit per unum,  
multo magis, qui abundántiam grátiae  
et donatiónis iustítiæ accípiunt,  
in vita regnábunt per unum Iesum Christum.
- <sup>18</sup> Igitur sicut per uníus delíctum  
in omnes hómines in condemnatiónem,  
sic et per uníus iustítiam  
in omnes hómines in iustificatiónem vitæ;

<sup>19</sup> sicut enim per inobœdiéntiam uníus hóminis  
peccatóres constitúti sunt multi,  
ita et per uníus obœditiónem  
iusti constituéntur multi.

Verbum Dómini.